

venerant, acceperunt singulos denarios.

VERSIONES.

Syriacus n. 8. Cum autem esset vespera, ait Dominus vineæ præfecto domus suæ, voca operarios.

Parablu. Cum autem advesperauisset, dicit Dominus, &c. exorsus à postremis vsque ad primos.

Arabicus. Et venientes illi undecimæ Arias n. 9. horæ, acceperunt singuli denarium.

EXPOSITIO IV.



Vm serò autem factum est. Cum iam diei esset vespera, Occidente Sole, iam vltima diei hora finiebatur. Hic autem Paterfamilias Deus est, quomodo autem dicatur, quod sero mandat date suis præmia, dicam in limine quæstionis sequentis. Ad sensum parabola denotatur, vt docent D. Gregor. D. August. Beda, D. Thomas, finis mundi, ac dies iudicij, quando Christus omnium index singulis pro suo merito mercedem distribuet. Dicit procuratori suo. Syriacus, Magistro, seu præfecto domus sue. Cui pecunia sua credita erat, & huiusmodi denariorum solutio ex suo munere incumbabat. Quis autem symbolicè sit huiusmodi procurator, dubitatur. Origenes ministerio commissum est mercedem distribuere.

D. vero Remig. ait: Dominus Iesus Christus ipse est Paterfamilias, & vineæ procurator, sicut ipse est ostium, & ostiarius. Glossa sic rem explicat: Dicit Paterfamilias procuratori, id est, dicit Pater filio, quia scilicet Pater omnia per filium operatur, & filio dedit ei iudicium facere, Ioan. 5. D. vero Irenæus lib. 4. contra Hæreses cap. 70. ad finem, D. Chrysofom. in Imperfecto homil. 34. sic exponunt: Dicit Dominus vineæ procuratori, id est, Filius Spiritui sancto. Quia sicut ipse Spiritus sanctus dispensat gratias, & dona, sic & gloriam, & præmia. In hac sententia Christus est Paterfamilias, Spiritus sanctus procurator. Quia quamuis Spiritus sanctus sit vnus Deus cum Christo, in perfectioneque personali ei æqualis, tamen quia non fuit operator Redemptionis, sed gratiæ à Christo passione sua promeritæ, munificus distributor, ac large beneficus dispensator, inde eius procurator nominatur, vt latè diserit M. Celada lib. in Esther cap. 10. §. 243. n. 6.

Voca operarios. Noluit bonus Paterfamilias mercenariorum stipendium apud se detinere, sed statim mandat soluere. D. Anselm. singulariter sic explicat: Voca operarios, sic ait, statue operarios ante tribunal tuum. Pro vnus horæ labore totum denarium liberalissimè vltra merita vult donare; & tamen tribunal mandat erigere, vt opere impleat, quod prædixerat: Quod iustum fuerit, dabo vobis. Liberaliter donat, tamen iustitiæ formam, ac modum seruat, vt magis accipientes condecorret, & nobilitet, & si fortè merita personæ munerandæ non respicit, saltem idoneam, dando

beneficio personam quatit. Ait Paterfamilias procuratori: Voca operarios. Quia forte procurator aliquantulum longè ab illis erat, nec semper illis aderat molestus, ac importunus operis inspector, sed aliquod spatium ad leuamen concedebat. Redde illis mercedem. Merces respondet labori, ac merito, quod enim ob merita non debetur mercedis nomine non bene soluitur, vltra merita liberalissimè Paterfamilias dans non id tribuit donatiui nomine, sed mercedis, & præmij titulo, vt maiori honore remuneratos extollat, & vt etiam videatur quod ipse potius soluat, quam det. Incipiens à nouissimis. Qui vltimi aduenerunt, hi enim minori tempore, maiori tamen feruore, ac spiritu laborauerunt. Glossa, Carthusian. A nouissimis incipit, dum prius latronem, quam Petrum introduxit.

Cum venissent ergo, qui circa undecimam horam venerant. Vocati nempe à procuratore iussa Domini sui adimplente, nec enim isti undecimæ horæ se aliis anteponebant, nisi ab ipso essent conuocati. Acceperunt singulos denarios, seu vt alij legunt singuli denarium. Quod æqualem mercedem omnibus redditam significat, quilibet enim accepit denarium mercedem labori totius diei debitam; Hi autem vltimæ horæ suis meritis non fidebant, sed tantum Domini gratiam expectabant, & præter omnium spem tantam mercedem accipiunt.

QUESTIO XII.

Quare cum Deus sit maximè velox ad benefaciendum, hic Paterfamilias cum serò esset, mercedem mandat dare operarijs?

Vm serò factum esset, mandat Paterfamilias dare mercedem operarijs. In præfenti sero, vt notat Abulens. q. 17. & communiter Expositores, significat solis occasum; nam Occidente Sole desinit tempus laboris, & incipit quies. Psal. 103. n. 23. Exit homo ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperam. Quantum vero ad sensum parabola. Sero hic significat finem vitæ humanæ, vel consummationem sæculi. In vtroque sero redditur merces hominis à Paterfamilias, qui est Deus, vt docent D. Chrysofom. D. Augustin. D. Gregor. & alij. Vnde dicitur in Psalmo 126. num. 2. Cum dederit dilectis suis somnum. Mortem scilicet, vt interpretatur N. Incognitus: Ecce hereditas Domini: hereditas nempe filiorum Dei, quæ est gloria, vt merces datur.

Secundò. Moraliter. Hic Paterfamilias Deus est, vt modo dixi ex Patribus. Quomodo ergo astruitur, quod sero venit ad soluendam, ac reddendam mercedem his hominibus? nam Deus velox est ad miserandum, ac benefaciendum, & ad sua dona concedenda omnia tempora præcurrit. Quod hic tardat, & sero venit, vt soluat, ac tribuat mercedem his hominibus. Representabatur hic Deus sub persona hominis. Simile est regnum Cælorum homini Paterfamilias. Hominem autem ingenium est sero soluere, & tarde, ac morosè vnicuique suum tribuere; adeo vt etiam Deus cum sub persona hominis introducit, sero, ac lente veniens representatur, vt soluat, nam si cito, ac diligenter solueret, hominem representare

Gregor. August. Beda. D. Thom. Syriacus. Quis procurator?

Origenes.

Remig.

Glossa.

Irenæus. Chrysof.

Auctor, ac operator operis illustrissimè nobilitatur.

Celada.

71.

Anselm.

Deus dans liberaliter iustitiæ ordinem seruauit.

Prælatu non semper insidet super subditos.

Glossa. Carthuf.

72.

Non sicut suis meritis, sed Dei liberalitate.

sentare non valeret, & ideo cum serò esset factum, mercedem mandat dare operarijs. Vide tom. 1. cap. 10. q. 24. n. 174.

75. Origenes.

Tertiò. Origenes homil. 10. in Matth. Non numerantur, ait, secundum expositionem istam inter operarios vineæ, quorquor vocati sunt, quidam primum ad Dei culturam, non autem conseruantes, que fidei erant, vlti egressi sunt de vinea, id est, Ecclesia Dei, vel de fide veritatis, vel de iustitia regni Cælestis. Tunc bonus Paterfamilias mandat dare mercedem, cum serò factum esset, cum inclinata esset iam dies; cur hoc tempus eligitur? Vt percipiamus, quod non fat est, vt quis diluculo veniat in vineam, in eaque desudet, ac rectè incipiat aliquandoque bonum cursum teneat, sed necesse est, vt vsque in finem diei labore, ac sudore perseueret, nam si ignauia, seu pigritia, seu in aliquo defecerit, quæ laudabiliter olim gesserat, infructuosa reddentur, & irremuneratus manebit; & ideo Paterfamilias serò mandat soluere mercedem operarijs. Non enim munerantur, qui vlti egressi sunt de vinea, id est, Ecclesia Dei; vel de fide veritatis, vel de iustitia regni Cælestis.

76. Cantic. 6.

De anima sancta decantatur: Terribilis vi castrorum acies ordinata, Cantic. 6. n. 9. Quid anima pia, modesta, mitis, ac humilis habet cum castris, vbi milites feroces tanquam leones degunt, & viuunt, quamnam combinationem habet illius lenitas cum horum duritie? Ait: Vi castrorum acies ordinata. Tunc legiones ordinatæ censentur, quando turmæ maxime sunt vnitæ, ac colligatæ, ita vt nullus pateat aditus hosti, per quem perumpat, si enim alicuius negligentia aliqua sit dissolutio, vel rima, totus exercitus confunditur, & omnium salus periclitatur. Ad castrorum normam militant animæ sanctæ, quæ virtutibus armantur. Non sufficiunt ad præsidium duæ, vel quatuor virtutes ad congressum cum satana, nec per aliquod tempus armari aduersus illius insidias, sed necesse est tanquam aciem ordinatam omnibus virtutibus per omne tempus nostræ militiæ vndique muniti, ne aduersario aliquis pateat aditus, ne inde succumbat anima victa, & naufragium sequatur. Eleganter Beda: Anima, ait, queque perfecta, cum ita virtutibus operam dat, vt nullum in eis locum vitijs relinquat; terribilis profecto hostibus, vt castrorum acies ordinata persistit. Nam si ita verbi gratia, continentia studet, vt virtutem humilitatis non teneat, aut si se elemosinarum opera exercet, vt a superflua locutionis culpa linguam non refrenet, talis nimirum anima minus est terribilis hostibus, quia virtutum suarum castra minus perfecte ordinauit. Vide tom. 3. cap. 6. q. 13. n. 69. & cap. 8. q. 1. n. 58.

Vni diuini mandati transgressio eorum obseruantiæ reddit vanam.

Beda.

Chrysof. August. Gregor. Psal. 126. Incognitus.

73.

Abulens.

Psal. 103. Post hanc vitam merces.

74.

Homo sero, & tardè soluit, quæ debet.

77. Ratio dissoluti.

Væstio præfens est. Quare hic Paterfamilias, in quo Deus figurabatur, vt dixi modo ex Sanctis Patribus, per se ipsum conuocat operarios ad excolendam vineam suam, illique operam suam impendendam. Exijt primo mane conducere operarios in vineam suam. At vero

cum ad eorum stipendium deuenit: Dixit procuratori suo, redde illis mercedem. Si ipse Paterfamilias eos ad laborem vineæ conuocauit, cur etiam ipse non soluit stipendium, sed hoc procuratori suo committit? Dixit procuratori suo, &c.

Respondeo ad quæstionem. Ad excolendam vineam, ad laborem scilicet; ac meritum per se ipsum operarios conuocat Paterfamilias, ad mercedem vero illis soluendam alij committit. Negotium laboris, ac meriti tanquam rem magnæ æstimationis, & ponderis per semetipsum exequitur; illius vero mercedem, eiusque possessionem, vt quid inferius procuratori suo remittit. Dixit procuratori, redde illis mercedem.

In exordio mundi formauit Dominus Deus hominem de limo terræ; & inspirauit in faciem eius spiraculum vite, Gen. 2. n. 7. At in die iudicij ministerio Angelorum resurgent corpora. Vt ex Paulo 1. ad Theffal. 4. num. 15. Ipse Dominus in iusu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de Cælo, & mortui, qui in Christo sunt resurgent primi. Docent D. Chrysof. Occumen. Theodor. Anselm. D. Thom. August. Gregor.

Dei formato hominem: Et posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum. Resurgunt vero corpora vt suorum laborum mercedem recipiant, sic & iustis dicit Rex: Venite Benedicti Patris mei possidere paratum vobis regnum à constitutione mundi, Matth. 24. num. 34. Erga Deum autem multo pretiosius est nostrum meritum, quam præmium, cum homo creatur ad meritum, & operationem, Dei manu fit, cum vero resurgit ad præmium ministerio Angelorum componitur, & fabricatur. Nocte apparuit Deus Abrahamo. Et ait illi: Tolle filium tuum vniuersum, & offeres eum in holocaustum super vnum montium, quem monstrauero tibi, Gen. 22. num. 2. Cumque ille in executionem diuini mandati gladium eleuaret, vt filium iugularet. Ecce Angelus Domini de cælo clamauit, Abraham, Abraham, ne extendas manum super puerum, ibidem num. 12. Illique multa dona, beneficia, ac benedictiones pollicetur. Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cæli. Et subdit: Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. Deus multum diues est in pietate, ac misericordia, si per semetipsum mandauit Abrahamo filium sacrificare, quo etiam maximè torquebantur paterna viscera, cur etiam Deus per semetipsum patrem non recreat? Dum ipse gladium detinet, filium parenti viuam concedit, ac tanta bona promittit. Nunquid Deus pronior est ad molestias homini inferendas, quam ad largienda beneficia? Cur ergo tentat per se, benefacit per Angelum? In sacrificio erat ingens Abrahamæ meritum; in vita Isaac, ac benedictionibus reuebat præmium. Quæ autem meriti sunt, utpote Deo maximè grata per se exequitur. Lippoman. Tentauit Deus Abraham, vt fidei sacrificium commendaret. Illa autem, quæ ad præmium spectant, tanquam minora Angelo destinant, & delegat. Vide tom. 3. cap. 11. q. 22. n. 161. & 162.

78.

Deo magis placet meritum, quam illius possessio, ac præmium.

79.

Gen. 2.

1. Theff. 4.

Chrysof. Occumen. Theodor. Anselm. D. Thom. August. Gregor.

Matth. 24. Deu format hominem, vt operetur, Angelus, vt remuneretur.

80.

Gen. 22.

Dei ad meritum venie per se, ad præmij per Angelum.

Lippoman.



QVÆSTIO XIV.

Quare Paterfamilias mandat dare eundem denarium omnibus incipiendo à nouissimis vsque ad primos?

81. Ordo distributionis.

NON solum Paterfamilias procuratori mandauit omnibus operariis dare æqualem mercedem, sed etiam vt inciperet à nouissimis vsque ad primos. Prius enim data est merces eis, qui circa vndecimam horam venerunt, deinde eis, qui circa nonam, deinde qui circa sextam, & tertiam, & vltimo his, qui primo mane venerunt, vt colligitur ex textu, & obseruat Abulen. q. 21. per quod bene comprobatur conclusio parabola: Sic erunt nouissimi primi. Vt tibi explicabo. Nunc ergo Patrum placita explicemus.

82. Chrylost.

Respondet D. Chrylostom. homil. 34. in Imperfecto: Quare non à primis vsque ad nouissimos, sed primum à nouissimis? Attende, naturalis est ratio. Omnes autem, qui ante aduentum Christi fuerunt, quasi ex operibus facti sunt Sancti. Gentes autem ex gratia. Mandat Paterfamilias procuratori. Redde mercedem incipiens à nouissimis. Cur non magis à primis, quid habuerunt nouissimi, qui remuneratoris animum sibi magis arripuerunt? In vltimo maior extitit gratia; in primis autem maiores fuerunt labores. Ita vt diceret Christus suis discipulis: Alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis, Ioan. 4. num. 38. Antiqui Patres ex gratia Dei operabantur, sed quia in illis minores erant gratia, minoraque auxilia, inde sudores, & labores maiores, veluti vnus integræ diei. At vero Christiani, quibus Christi gratia, & auxilia abundantissime communicantur, videntur parum, aut quasi nihil laborare, veluti spatio vnus horæ, cum tamen in eis merces sit amplissima, semen enim gloriæ, gratia est.

83. Origenes.

Secundò. Origenes homil. 10. in Matth. Poterant, ait, æquale opus facere eis, qui ex mane sunt operati; quicumque in tempore breui volebant operantem virtutem ad opus extendere, que antea non fuerat operata. Breui tempore, ac vna hora recompensauerunt præteritum tempus, quo monemur, quod quilibet breuis hora sufficiens est ad æternam mercedem promerendam.

84. Hieron.

Tertid. D. Hieron. lib. 2. contra Iouinian. Prima hora, ait, vocatus est Abel, Seth, Enoc, & Noë. Sexta Abraham, Isaac, & Iacob; nona Moyses, & Propheta: vndecima Gentium populus: cui primo redditur merces, quia in crucifixum credens Dominum, difficultate fidei magnitudinem meruit præmiorum. Vocati hora vndecima sunt Gentiles, & merito antiquis Patribus in præmio, ac gloria præferuntur; nam antiqui crediderunt in Dominum in gloria regnantem; Apostoli vero, ac Gentes in ipsum percussam, & flagellatam à Iudæis, ac eum inter iniquos deputatum videntes; qui autem tempore humilitatis, ac abiectiois sequuntur, & venerantur, merito cæteris præferendi sunt.

85. Chrylost.

Quartò. D. Chrylost. in Imperfecto, homil. 34. Incipiens, ait, à nouissimis vsque ad primos, certe vt ostendat Deus inestimabilem misericordiam suam, primum nouissimis indignioribus reddit mercedem, postea primis: nimia enim misericordia ordinem non aspexit. Quid est quod Paterfamilias non primis

primo mercedem dare iubet: sed primo loco vltimos numerat, vltimo autem primos? Nimia enim misericordia ordinem non aspexit. Infinita Dei pietas, quam nimiam misericordiam appellat, ordinem in largitionibus seruare non dicitur, non quia aliquid inordinatum, ac confusum in huiusmodi dispositione sit, sed quia ita diuina benignitas excellit angustos humanæ virtutis cancellos, ac omnem nostrum captum, & per exaggerationem eius misericordia nimia, & non aspiciere ordinem perhibeat.

Magna misericordia ordinem non seruat.

Quintò. Idem Chrylostom. in Catena aurea: Incipiens à nouissimis, ait, libentius aliquid damus illis, quibus gratis donamus; quia pro solo nostro honore donamus. Ergo omnibus Sanctis Deus reddens mercedem, iustus ostenditur, Gentibus autem dans misericordiam, dicente Apostolo: Gentes autem super misericordia honorare Deum; ideo dicitur incipiens à nouissimis. Vna hora laborauerunt nouissimi, & primi mercedem recipiant. Qui liberaliter donat honori suo potius donat, quam accipienti; nam accipiens donum, dono datur; dans vero beneficium, illo maxime eius honor extollitur, & respicendū, nullus maior honor, quam à liberalitate. Sicut enim à iustitia debitum exoluitur, sic & à munificencia honor prouenit; ideo ergo non merentibus operariis nouissimis citius dat, & donatione alijs præferuntur, quia liberaliter pro sua munificencia, ac honore declarando Paterfamilias dat. Libentius aliquid damus illis, quibus gratis donamus, qui pro solo nostro honore donamus.

86. Chrylost.

Qui pro liberalitate, ac honore sunt, citius dantur.

Sextò. Origenes homil. 10. in Matth. de his, qui vndecima hora venerunt, ait: Magnam excusationem habentes, ad hoc vt digni efficiantur totius diei mercede secundum quod excusauerunt se ipsos dicentes: nemo nos conduxit, propter quod & Paterfamilias libenter conduxit eos, & vt ita dicam reddidit eis mercedem, pro eo quod magnanimitè tota die steterunt, & expectauerunt vsque ad vesperam conductorem. Cur bonus Paterfamilias iubet prius remunerare eos, qui pro vna hora laborauerunt? Hi qui vndecima hora venerunt, cum arguerentur. Quid hic statis tota die otiosi? Respondentur; nemo nos conduxit. Tanquam si dicerent, per nos o Domine non stetit, quod in vinea excolenda non incumberemus, desiderio maxime laborandi tenebamus. Steterunt enim fortiter per totum diem, quin longa conductoris procastinatione lassati, ac pertæsi retrocessissent; hæc tanta ergo constantia, ac sufferentia Domini gratiam promeriti sunt, vt primum locum in mercede recipienda habuissent.

87. Origenes.

Constantia, ac sufferentia multum promeretur.

Septimò. D. Gregor. Nazianz. orat. in sanct. Baptisma: Illi, ait, non prius crediderunt, nec ingressi sunt, quam ipsi ex conuentu merces constituta fuisset, hi nulla condita mercede ad laborem accesserunt. Ordo postulabat, vt à primis esset retributionis initium, quando primi plus laboris præstiterunt; cur ergo bonus Paterfamilias ordinem immutat, & primo iubet remunerare eos, qui vix vna hora laborauerunt. Primi accesserunt: Conuentione autem facta ex denario diurno. Hi vltimi nullo mercedis pacto inito ad vineam excolendam conuenerunt, qui autem sine lucri spe, sine mercedis prætextu ad labores aduolant, multum promerentur apud Deum, maximeque illi gratiores sunt.

88. Nazianz.

Qui sine lucri spe laborant, Deo gratiores.

Scribens Apostolus Paulus 1. Corinth. 15. n. 9. ait: Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus

89. 1. Cor. 15.

dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. Et subdit: Gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboraui. Magna sanè dubitatio, quid est, quod Paulus se minimum Apostolorum dicit, & tamen confidenter de se testatur abundantius illis omnibus laborasse? Et tantum ipse laborauit, vt qui inter Apostolos tempore erat nouissimus, meritis tamen factus est primus, vt de illo asseuerat D. Hieronymus epist. ad Paulin. Subitus calor, ait, longum vincit tempus Paulus Apostolus de persecutione mutatus, nouissimus in ordine, primus in meritis? Nunquid comparatione ad Paulum sedulitas Petri, sapientia Ioannis, audacia Thomæ torpebant? & generositas cæterorum cæterorum Apostolorum languebat? Minime sanè. Vnde ergo plus omnibus laboraui? Ingeniosè Cæcilius ad citata Pauli verba: Abundantius, ait, illis omnibus laboraui. In hoc plus illis laboraui, quia illi ex prædicatione victum secundum Euangelium accipiebant, Paulus non est vsus hac potestate, sed labore manuum suarum vivebat. Non detrahit Paulus alijs Apostolis, quorum virtutes maxime extollit; quia tamen alijs Apostoli prædicantes per varia loca, à fidelibus donatiua quædam, ac elemosynas accipiebant; quod bene, & optime fieri posse in confesso est apud omnes. At cum ipse Paulus omne mundiale prædicationis stipendium, ac humanum virtutis præmium repudiasset, & de propriæ industriæ artificio, ac labore manuum suarum victitaret, 1. Corinth. 4. num. 12. Actorum 18. num. 3. inde confidenter ait; plus omnibus laboraui, tam magnum, & arduum est abiicere omnem humanam mercedem etiam elemosynæ respectu, tantumque hoc promeretur; vt Paulus inter Apostolos nouissimus in ordine, primus in meritis est. Vide supra cap. 22. num. 17. & cap. 27. num. 161.

Hieron.

Cæcilius.

Plus omnibus laborat, qui sine humano premio laborat. 25

Matth. 10. Venientes autem & primi arbitratu sunt, quod plus essent accepturi: acceperunt autem & ipsi singulos denarios.

Num. 11. Et accipientes murmurabant aduersus patremfamilias.

Num. 12. Dicentes: Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares nobis illos fecisti, qui portauimus pondus diei, & æstum.

VERSIONES.

Syriacus n. 10. Et cum venissent primi sperabant se plus reportaturos: acceperunt autem singuli denarium ipsi quoque.

Vatabl. n. 12. Hi postremi vnam horam fuerunt in opere.

Pagninus. Spatio vnus horæ fecerunt. Sylueira in Euang. Tom. IV.

Syriacus. Vnam horam operati sunt, & adæquasti eos nobiscum, qui pertulimus pondus diei, & æstum. D. Augustinus. Ecce nos qui sustinuumus ardorem diei, & æstum diei, æquasti, & pares fecisti illis, qui vna hora operati sunt in vinea.

EXPOSITIO V.



VENIENTES primi. Primi dicuntur, qui à primo mane vsque ad Solis occasum in opere perdurant, & hi peculiariter exprimitur, vt notat D. Paschasius lib. 9. in Matth. quia ex diuturnitate temporis maiorem habebant occasionem amplioris mercedis sperandæ, quàm alij intermedij, qui per tantum temporis spatium non laborauerunt; sic frequenter contigit, quod illi, qui de suis meritis multum præsumunt, alijs sunt inferiores, vt hi primi operarij, qui in vltimo loco sunt constituti, & ipsi singulos denarios, id est, vnusquisque accepit suum denarium.

90.

Paschas.

Qui de suis meritis multum confidit, errat.

Et accipientes. Græcus cum accepissent, accipiunt, & murmurant. Aduersus Patremfamilias. Non aduersus procuratorem; Paterfamilias sic rem mandauerat, & disposuerat, cuius procurator erat merus executor.

91. Græcus.

Dicentes: hi nouissimi. Notat Abulen. quæst. 29. quasi eos præsentem ostendentes, non ipsis absentibus, sed præsentibus suam querimoniam obiciunt. Et dicunt: hi nouissimi, quia laboris magnitudine primis impares videbantur. Vna hora fecerunt. Opus scilicet, laborauerunt nempe. Et pares. Mercede; nam loco & ordine nouissimi eis prælati sunt. Et exaggerando suum laborem dicunt: Portauimus pondus diei; pertulimus continuum totius diei laborem. Et æstus; feruores nempe diei, & Solis.

92. Abulen.

QVÆSTIO XV.

Quare primi conqueruntur de denario diurno nouissimis dato?

RESPONDEO primò. Quod res valde inopinata eis visa est, vt illi, qui nouissimi vna hora operati sunt, tantam mercedem reciperent, ac illi, qui portantes pondus diei, & æstus per totum diem laborauerunt; viderunt primi ex nouissimis vnumquemque vnum denarium diurnum accipere, inde sperabant se plus accepturos, cum autem se vidissent defraudatos à sua spe, ac præsumptione magno dolore percussi sunt, vnde aduersus Patremfamilias obmurmurant.

94.

Qui à suo desiderio defraudatur, dolet.

Secundò. D. Chrylostomus in Imperfecto homil. 34. Ergo, ait, non dolebant, quasi fraudati de mercede sua, sed quia illi amplius, quam merebantur, acceperant: hoc enim est proprium inuidia, quando aliquid alteri additur, sic dolent inuidi, quasi illis sit aliquid subductum, quod illi est additum, vt puta, si viderit fieri aliquem ditiores, putat inuidus se pauperem factum, & sapientior si fuerit factus ita dolet. H H h quasi

95. Chrylost.